



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Confessio veræ fidei, 32

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

tiones tuas, quid mihi es? Et intonasti de-
super voce grandi in interiorem aurem cor-
dis mei, & rupisti surditatem meam, & au-
divi vocem tuam; & illuminasti cecitatem
meam, & vidi lucem tuam: & cognovi quo-
niam Deus meus es tu. Propterea dixi, quod
cognovi te.

13. Cognovi enim te, quoniam Deus
meus es tu. Cognovi te solum verum Deum,
& quem misisti Iesum Christum. Erat tem-
pus quando non cognoscebam te. Væ tem-
pori illi, quando non cognoscebam te. Væ
cacitati illi, quando non videbam te. Væ
surditati illi, quando non audiebam te. Cæ-
cus & surdus per formosa quæ fecisti, defor-
mis irruebam. Et mecum eras, & tecum non
eram, & ea me tenebant longe à te, quæ
non essent, nisi essent in te. Illuminasti me,
lux mundi: & vidi te, & amavi te. Nemo
quippe te amat, nisi qui te videt: & nemo te
videt, nisi qui te amat. Sero te amavi, pul-
chritudo tam antiqua, & tam nova, sero te
amavi. Væ tempori illi, quando non te amavi.

C A P V T XXXII.

Confessio vera fidei.

I. **G**Ratias tibi ago lux mea, qui illumi-
nasti me, & cognovi te. Qualiter co-
gnovi te? Cognovi te solum Deum vivum &
verum creatorem meum: cognovi te, crea-
torem cœli & terræ, visibilium omnium &
invisibilium, Deum verum, omnipoten-
tem, immortalem & invisibilem, incircum-
scriptibilem, interminabilem, æternum,
M 3 inac-

inaccessibilem, incomprehensibilem, imper-
scrutabilem, incommutabilem, immen-
sum, infinitum, principium omnium visibi-
lium & invisibilium creaturarum, per quem
omnia facta sunt, per quem cuncta subsi-
stunt elementa. Cujus majestas sicut princi-
pium nunquam habuit, sic nec desinet in æ-
ternum. Cognovi te unum solum verum
Deum æternum, Patrem, & Filium & Spi-
ritum sanctum; tres quidem personas, sed
unam essentiam, omnino simplicem indivi-
samque naturam; & Patrem à nullo Filium
à Patre solo, & Spiritum pariter ab utroque;
absque initio, semper & sine fine Deum tri-
num, & unum solum & verum Deum om-
nipotentem: unum universorum princi-
pium, creatorem omnium visibilium, & in-
visibilium, spiritualium & temporalium; qui
tua omnipotenti virtute, simul ab initio
temporis utramque de nihilo condidisti
creaturam, spiritualem & corporalem, An-
gelicam videlicet & mundanam, ac deinde
humanam, quasi communem, ex corpore
& spiritu constitutam.

2. Cognovi te, & confiteor te Deum Pa-
trem ingenitum, te Filium à Patre genitum,
& Spiritum sanctum paracletum, neque ge-
nitum, neque ingenitum: sanctam & indi-
viduam Trinitatem, in tribus coæqualibus
personis consubstantialibus & coæternis;
Trinitatem in unitate, & unitatem in Tri-
nitate, corde credens ad justitiam, & ore
confitens ad salutem. Cognovi te verum
Deum & Dominum nostrum Iesum Chri-
stum,

atum, filium Dei unigenitum, creatorem, salvatorem, & redemptorem mei, & totius humani generis; quem confiteor ex Patre genitum ante saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, non factum sed genitum, consubstantialem & coaeternum Patri & Spiritui sancto, per quem omnia facta sunt à principio: firmiter credens & veraciter confitens, te Deum unigenitum Iesum Christum, propter salutem hominum à tota Trinitate communiter incarnatum, & ex Maria perpetua virgine, Spiritus sancti cooperatione conceptum, verum hominem factum, ex anima rationali & humana carne subsistentem.

3. Qui cum secundum divinitatem unigenitus Dei impassibilis sis, pariter & immortalis; propter nimiam dilectionem tuam, qua dilexisti nos, idem ipse Dei filius secundum humanitatem factus es passibilis & mortalis. Qui propter salutem humani generis, unice filii Dei, in ligno crucis pati dignatus es passionem & mortem, ut nos à morte perpetua liberares. Atque ad inferos, ubi sedebant in tenebris patres nostri, auctor luminis descendisti, & die tertia gloriosus victor ab inferis ad superos resurrexisti; resumens sacrum corpus, quod pro peccatis nostris mortuum jacuerat in sepulchro; & vivificans secundum scripturas die tertia, ut ipsum in Patris dextra collocares. Assumpta namque tecum ex inferis captivitate, quam captivaverat antiquus hostis humani generis inimicus, verus Dei filius cum

nostræ carnis substantia, id est, cum anima & carne humana ex Virgine gloriosa assumpta, super omnes cælos ascendisti, transcendens omnes ordines Angelorum: ubi sedes ad dexteram Dei Patris, ubi est fons vitæ, & lumen inaccessibile, & pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.

4. Ibi te Deum verum & hominem Iesum Christum adoramus, & credimus, confidentes te Patrem habere Deum; indeque te venturum Iudicem in fine sæculi expectamus, ut iudices vivos & mortuos, & reddas omnibus bonis & malis secundum opera sua, quæ operati sunt in hac vita, vel præmium, vel supplicium; prout unusquisque dignus fuerit requie vel ærumna. Resurgent enim in illa die à voce virtutis tuæ omnes homines, quotquot humanam animam acceperunt in carne sua, quam hic habuerunt; ut totus homo pro meritis vel gloriam suscipiat, vel gehennam. Tu es ipsa vita, & resurrectio nostra, quem salvatorem expectamus, Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

5. Cognovi te Deum verum & unum Spiritum sanctum Patris & Filii ab utroque pariter procedentem, consubstantialem & coæternum Patri & Filio, paracletum & advocatum nostrum, qui super eundem Deum & Dominum nostrum Iesum Christum in columbæ specie descendisti, & super Apostolos in linguis igneis apparuisti. Qui & omnes Sanctos & electos Dei à principio; tuæ gra-

tiæ munere docuisti, & ora Prophetarum, ut enarrent mirabilia regni Dei, aperuisti: qui ab omnibus Sanctis Dei cum Patre & Filio simul adoraris, & glorificaris. Inter quos & ego filius ancillæ tuæ, toto corde meo glorifico nomen tuum, quoniam illuminasti me. Tu enim es vera lux, lumen veridicum, ignis Dei, & magister spirituum: qui unctiōne tua doces nos omnem veritatem, Spiritus veritatis: sine quo impossibile est placere Deo, quoniam tu ipse Deus es ex Deo, & lux de luce procedens, à Patre luminum ineffabiliter, & ab ejus filio Domino nostro Iesu Christo: quibus consubstantialis, & coequalis, & coeternus, existens in unius Trinitatis essentia, superessentialiter congloriaris & conregnas.

6. Cognovi te unum Deum vivum & verum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; trinum quidem in personis, sed unum in essentia quem confiteor, adoro & glorifico toto corde meo, verum Deum solum, sanctum, immortalem, invisibilem, incommutabilem, inaccessibilem, imperscrutabilem: unum lumen, unum solem, unum panem, unam vitam, unum bonum, unum principium, unum finem, unum creatorem cœli & terræ; per quem omnia vivunt, per quem omnia subsistunt, per quem omnia gubernantur, reguntur & vivificantur, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, & quæ sub terra, præter quem non est Deus in cœlo & in terra.

7. Sic cognovi te Domine Deus cogni-

tor mei, sic cognovi te. Cognovi te per fidem tuam, quam inspirasti mihi, lux mea, lumen oculorum meorum, Domine Deus meus, spes omnium finium terræ, gaudium lætificans juventutem meam, & bonum sustentans senectutem meam. In te enim Domine jubilant omnia ossa mea, dicentia: Domine, quis similis tibi? Quis similis tibi in diis Domine? Non quem fecit manus hominum, sed qui fecisti manus hominum. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum; non sic operator hominum. Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit, Dominus ipse est Deus. Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de cœlo & de terra; Deum, qui creavit cœlum & terram, cœli & terra benedicant.

C A P V T XXXIII.

De confessione propria vilitatis.

1. **Q**uis similis tibi etiam in diis Domine? Quis similis tibi? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia? Sero te cognovi lumen verum, sero te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ: ita ut videre non possem solem justitiæ, & lumen veritatis. Involvebar in tenebris; filius tenebrarum, tenebras meas amabam: quia lumen non cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit, ubi eram homo cæcus, sedens in tenebris & umbra mortis?

2. Quis